

Tuennanensis Episcopi pro verbis.

dam sine Bullis Pontificiis, & Regiis Executo- rialibus consecrasset, sic de utroque agens est locutus in epistola, quam apud me habui: Consecrari quidem; & bene me fecisse tunc credidi, cum Theologi essent rem probantes, & alia pro remouendo scrupulo adminicula concurrissent. Sed Rex meus errasse me asserit, & ita me errasse confiteor, cum meliores ille apud se Theologos habeat, quam ego, &c. Quod ergo ad conscientiam attinet, nullus videtur re-morsus excitandus; quod autem ad conuenientiam, iam præfatus.

CAPVT XXVI.

De prouentu Vinearum Indicarum.

Plantatio vitæ in Indis iam pridem vetita pluribus rescriptis Regiis, de quibus Dom. Solorzanus Tomo 2. Lib. 1. cap. 7. num. 41. & D. Escalona Parte 2. Lib. 2. Cap. 28. num. 2. Quibus non obstantibus inualuit illa, & aded copioso prouentu, ut iam superius expressimus num. 123. & cum tot sint, ad multo plures fertilibus gleba succurrit. Quia ergo sine Regiâ facultate plantata, visum est post longius tempus, aliquod inde quæsisse compendium: & ita Regio statuto decretum, vt duo pro centum vasa vinaria, in quibus vinum transfuehitur, soluerentur. In quo quidem grauari se iniuste vinearum domini conquesti sunt, & res ad controuersiam juridicam reuocata. Postquam tamen rescriptum est à Rege & executio decreti instanter iniuncta, quæ tamen alicubi adhuc retardata. Fuit autem hoc hominis cuiusdam arbitrium annis proximis Regio Consilio ad amplificationem Regij patrimonij & odij communis, oblatum: cum iam pridem vinearum domini in pacificâ essent possessione, & qui de nouo plantare velent, nullum iuris aut facti obstaculum inuenirent. Compositione enim Regiâ titulos terrarum habentes, licere sibi plantare quidquid videretur utile, crediderunt. Neque enim in compositione, de non plantandis vineis quidquam actum: immò multoties compositio facta quando iam in terris, circa quas componebatur, vineæ aut adultæ aut nouellæ videbantur.

De illius iniustitia querela, sed fructu nullum.

Prohibitio nem vsu receptâ non fuisse, & legem vsu non receptâ obligatoriam non esse.

Quid circa consensum Principum Auctores diuersi sentiant.

197 Plantatio vinearum in Indis iam pridem vetita pluribus rescriptis Regiis, de quibus Dom. Solorzanus Tomo 2. Lib. 1. cap. 7. num. 41. & D. Escalona Parte 2. Lib. 2. Cap. 28. num. 2. Quibus non obstantibus inualuit illa, & aded copioso prouentu, ut iam superius expressimus num. 123. & cum tot sint, ad multo plures fertilibus gleba succurrit. Quia ergo sine Regiâ facultate plantata, visum est post longius tempus, aliquod inde quæsisse compendium: & ita Regio statuto decretum, vt duo pro centum vasa vinaria, in quibus vinum transfuehitur, soluerentur. In quo quidem grauari se iniuste vinearum domini conquesti sunt, & res ad controuersiam juridicam reuocata. Postquam tamen rescriptum est à Rege & executio decreti instanter iniuncta, quæ tamen alicubi adhuc retardata. Fuit autem hoc hominis cuiusdam arbitrium annis proximis Regio Consilio ad amplificationem Regij patrimonij & odij communis, oblatum: cum iam pridem vinearum domini in pacificâ essent possessione, & qui de nouo plantare velent, nullum iuris aut facti obstaculum inuenirent. Compositione enim Regiâ titulos terrarum habentes, licere sibi plantare quidquid videretur utile, crediderunt. Neque enim in compositione, de non plantandis vineis quidquam actum: immò multoties compositio facta quando iam in terris, circa quas componebatur, vineæ aut adultæ aut nouellæ videbantur.

198 Fuerit ergo licet circa hoc iterata prohibitio, sicut & circa oliueta, pro quibus tamen exactio nulla constituta huculque, nihil ob stare potuit, quia vsu non recepta, scientibus Gubernatoribus, & Regio non ignorante Consilio, cum notissimum esset vinum ex Hispaniâ in regiones istas non asportari. Nihil autem manifestius quàm legem vsu non receptam, nequiquam vrgere, nec posse illius inobseruantiam castigari. Pro quo P. Suarius Lib. 4. de Legibus, cap. 16. P. Azor Tomo 1. lib. 5. cap. 4. quest. 7. P. Salas de Legibus, disput. 13. Sect. 2. num. 11. P. Palas Tomo 1. Tractat. 3. Disput. 1. Puncto 13. num. 9. cum aliis ab eisdem citatis. Solet autem ab aliquibus ad hoc vt lex vsu non recepta obligari desinat, consensu saltem tacito legislatoris requiri, vt videri apud citatos potest. Et talem in casu nostro re-pertum iam vidimus; immò & plus quàm tacitum. Cum tamen Doctores etiam sint, qui asserant, etiam cum omnimodâ legislatoris ignoran-

tiâ, obligationem legis cessare. Et hoc certum arbitrat P. Palas supra; & non tantum probabilibus cum Doctores, quos adducit: non ergo multum roboris habere videtur id, quod in Regiâ Schedulâ Proregi Peruuiano iniungitur; quod scilicet vinearum Dominis inculcetur, ita vt capaces reddantur, non potuisse illos sine licentiâ Regis plantare vineas, & licentiâ à Proregibus concessam quibusdam, fuisse nullam; quia licet verè talis lex fuerit, & à præfatis id vt verissimum admittatur; habent illi, eo non obstante, quod aperte suffragetur. Cum aliâs inueniantur rescripta, de quibus Dom. Solorzanus supra, num. 43. in quibus supponitur plantatas vineas, Indos tamen pro illarum culturâ distribui prohibetur: licet postea prohibitio etiam fuerit intimata, sed à Proregibus executio suspensa, vt quæ magnis inconuenientibus subiaceret.

199 Nihilominus Regia præfatis penitus condemnanda non est, quia prohibitio bonis fundamentis innititur, saltem probabilibus: & cum terræ ex compositione habeantur, sub eâ conditione iuste potuerunt tradi, vt vinearum in ipsis plantatio non liceret. Quamuis autem hoc in compositione ipsâ expressum non fuerit, inest tamen conditio, quia legè habetur generaliter posita, vnde non fuit opus declarari. Quando enim tacitum expresso inest, pro expresso habetur: vt cum Baldo, & Tiraquello obseruat Marius Antoninus Lib. 2. Resolut. 57. num. 72. & quia in generali concessione non veniunt ea, quæ quis non esset in specie verosimiliter concessurus, vt habetur Cap. In generali de regulis juris in 6. non est autem verosimile in generali concessione venire id, quod est aliâs lege prohibitum, cum generalis concessio priuilegium non sit, sed contractus ab eo independens, quod cum re, circa quam versatur, nullam habet connexionem. Et ita interpretatio facienda, vt correctio juris communioris euitetur, iuxta receptam Doctorum obseruationem, de quâ dictum alibi Tr. 4. n. 73. & pro quâ videri potest citatus Auctor Lib. 1. Resol. 103. num. 18. Quibus addi potest semper Reges nostros plantationi vinearum obstinisse; vnde contra factum nequit scientiæ & patientiæ eorumdem imputari.

200 Bene tamen verum est rationem, quæ pro iustificandâ prohibitione redditur, non penitus subsistere, vt patet ex verbis illis Schedulæ Ann. 1595. quam supra Dom. Solorzanus adducit: Por muchas causas de gran consideracion, y principalmente, porque euendo alla provision bastante de estas cosas, no se en flaquecese el irato y comercio con estos Reynos. Est enim impossibile vt ex Hispaniâ vinum omnè necessarium pro regionibus istis afferatur, quod & carissimè constabit & multoties eius defectus molestissimi sentiantur. Quod ex præfatis potest tempore euidenter comprobari, quando in ditione Noui-Regni Granatenis vna vini botifia, seu quadrantalis mensura, sexaginta octi-regalibus vix habetur, cum tamen Prouinciæ illæ ex proximioribus Hispaniæ sint. Quid ergo in remotissimis accideret, vbi marium & terrarum tractus longissimi percurrendi? Quibus addi potest, licet commercium circa vitium attenuatum sit, circa alia tamen mirè actum: vnde ex hoc capite, attenuati scilicet commercij, quod

Schedula Regia domini vinearum quomodo scriptum inueniendum statuatur.

Pro iustificatione prohibitionis Regia arguitur, & opposita adiuuatur.

Cap. In generali.

Rationem illius non subsistere, de iustificatione vini ex Hispaniâ adducti Regia Schudula.

Cessante causâ legè cessare.

Quando etiam præcipua non sit.

Indi ad vindemias non condiscipi.

An etiam spontanei adquirantur.

quod quasi præcipuum ad prohibitionem adducitur, illius corrumpit fundamentum: & ita aliarum rationum non est curanda, quæ innuitur, multo: deficiente præcipua, quæ finem, & causam motiuam dispositioni tribuit, iuxta receptam doctrinam. Non enim est credibile propter rationes parui momenti legem aded rerum naturæ repugnantem, quæ aptas plantis terras exhibet, & hominum naturæ inclinationi, subditis benigna Principis officia pro meritis poneretur. Cessante ex parte causâ legè, cessat illa, quando magis est inutilis & nocua, quàm utilis & proficua, etiam si causa præcipua non sit, vt videri potest apud P. Suarium supra, Lib. 6. Cap. 9. in fine. Multo ergo potius quando præcipua causa, vt in casu nostro: & licet aliâ vtilem reddent, magis tamen incipit esse nocua ob rationem dictam; quia scilicet necessaria copia ex Hispaniâ nequit opportune deferri, & esset sanè molestissima penuriam periculum.

201 Id tamen curandum, ne Indi ad vindemias conducantur, nisi ipsi sponte liberâ se offerant: experientia enim compertissimum habetur plurimos eo in labore perire & quia cælum ipsis insalubre, & quia multum inconsideratè hauriunt, vnde lethales ipsis morbi generantur. Immo & dubitari merito potest an sponte se offerentes sint admittendi: & negari verosimiliter, quia admissio talis est cooperatio ad damna dicta, & charitas obligat ad subueniendum etiam in damnum sponte euntibus, materiam, si possumus, subtrahendo. Hinc enim & correctio fraterna obligat; cum tamen certum sit peccatum non nisi sponte committi. Poterit autem admittens excusari ex eo quod repulsus à se plures inueniet alios, non solum admittentes, sed rogantes, neque enim ille à locatione suarum delisset operarum, iuxta probabilem aliquorum doctrinam: de quâ dictum Titulo 1. n. 146. & seqq. Licet hic non omnino accommodari possit, vbi de peccato se locantes non agitur, quod fortè in multis non est mortale ob eorum incapacitatem, aut inaduer-tentiam: sed de damno eorum corporali: ratio autem facta eadem est.

CAPVT XXVII.

De papyri signatæ quæstuoſa nundinatione.

Signata papyri motiuum, & forma in eo seruata.

202 Recens est hoc in Hispaniâ ad vitandas, vt dicitur, falsitates in publicis instrumentis, arbitrium: signatur enim papyrus Regio signo quadruplici differentiâ, anni currentis notâ adiectâ, & ita signata solum Regio nomine venditur, pretio ab eodem designato. Quod cum in Indiis non ita quæstuosum futurum crederetur, vt ex transmissâ quantitate constat; supra votum excreuit, & ampliore aliâ ibidem fabricatâ, iuxta instructionem, expensa. Quæ quod discutienda nonnullis iis omissis, quæ quoad totius rei expeditionem potuisse Dom. Gaspar de Escalona Lib. 2. Gazophylacij, Parte 2. Cap. 29. & factum potius, quàm ius continent, sanctionem inquam, instructionem, declarationem.

Theſauri Indici Tom. I.

203 In primis an grauamen hoc licitè possit imponi, quia illius causa in ipsâ Pragmaticâ sanctione contenta, non videtur solido veritatis præsidio roborata. Dicitur enim ita dispositum vt falsitates euitentur, quandoquidem in qualibet signatâ papyro annus apponitur, pro quo tantum seruire potest. Quod ergo in eâ scriptum fuerit falsitatem eam habere nequit, quæ accidere multoties solet, cum instrumenta conficiuntur annorum præteritorum numero consignato, quod ad multas & grauissimas potest iniustitias deferuire. Atqui per hoc damnis aliis non occurritur, quæ præter adductum, sunt sanè innumera: in papyro enim signatâ possunt falsitates immensæ conscribi: quod & experientia multiplex comprobauit. Immo & damnum illud de falsitate retro acti temporis non videtur penitus cautelatum: nam papyri anni præfatis possunt plures chartæ emi, & pro futuris euentibus asseruari. Propter quod incommodum vitandum videtur dispositum, vt quidquid huius generis tranſacto anno, pro quo seruire potest, & biennio in Indiis, superferret, vndique collectum in locum, in quo sunt Regia signa, deferatur: licet in instructione dicatur hoc fieri, vt resignari possit, & annis sequentibus deferuire. Sed cum non semper resignetur, quia copia illius est, neque comburatur, vt de Bullis Cruciatæ inuenitur dispositum, nec tamen vsu generali firmatum, facile potest à falsariis charta multiplex comparari, scribentium ministerio, & prætextu commoditatis alicuius, vt in præfatis euenit, quando papyri communis est caritas ob raritatem, & papyrus signata emittit ad epistolas, & familiares alias functiones, cum multo minori pretio constat.

Difficultas circa illam ob causam non subsistentem.

Falsitates non occurrunt.

204 Deinde. Pretium videtur excessiuum, vt enim habetur in Pragmaticâ, & videri potest apud citatum Escalonam §. 1. n. 12. & seqq. Pro papyro primi signi viginti quatuor regales soluendi: pro secundi regales sex: pro tertij, regalis vnus: pro quarti, regalis quarta pars. Atqui vt constat ex eadem apud citatum num. 21. chartæ cuiuslibet quæstus seu sumptus in eâ factus, dimidium regalem non excedit. Licet ergo in papyro quarti signi benignitas Regia præluceat, quæ pauperes, & Indos minimum grauari desiderans, nullum ex illis emolumentum admittit, vt videri potest num. 8. verbis illis: Por quareto la intencion de su Magestad, y su voluntad, siempre ha sido, y es, aliuarles (Indos scilicet) de qualquiera carga y grauamen. Quod ad Religiones Mendicantes extensum, vt videri potest apud eundem §. 3. num. 16. Licet inquam hoc ita sit; in aliis tamen trium signorum chartis manifestus apparet excessus, præsertim in duobus prioribus. Cum ergo in hoc genere contractus emptionis & venditionis sit, pretium non debet immoderatum apponi; aliâs iniustitia suberit & obligatio restitutionis. Nec videtur satisfieri ex eo quod dicitur in Pragmaticâ citatâ, ad Regem spectare pretia rebus imponere, & ita circa hoc modo prædicto statuere potuisse. Nam licet hoc ita sit; pretium tamen debet esse moderatum, quod generale est, à quocumque ponatur; vnde & Rex id debet attendere, & circumstantias considerare, ex quibus rerum pendet æstimatio; vt

Ex pretij excessu difficultas augetur.

Pragmatica verba, circa Indorum leuamen.

Pretium à Rege etiam positum, moderatè esse debet.

quod mutatus circumstantiis non auerentur.

Ex pauperum inde damnis argumentum.

Et ex eo quia sic gabellipratu boni communitas.

Defensur in iustis, et oppositio responsio.

vt videri potest apud P. Lessium Lib. 2. Cap. 15. Dub. 2. & est apud alios obuium: vnde mutatis circumstantiis, solet pretium a Rege prescriptum non attenditur apud eundem videri potest n. 14. & tenent Mercadus, Iohannes, & Bartholomæus de Medina, & P. Filliucius apud Bonacinam Tomo 2. Dissut. 3. de Contractibus. Quæst. 2. Puncto 4. num. 7. P. Hurtadus Dissut. 2. de Contractibus Difficuli. 1. in fine. Et alij communiter.

205 Præterea. Aliunde videtur incongrua talis dispositio, quia cum diuitibus nihil officiat, pauperibus est nociua: illis enim papyri emptio parum curabitur, vt lites promoueat: isti autem ab eis desistent, ne euentus dubij multiplici papyri emptione grauentur: vnde & assequendi quod suum est, subsidio carebunt. Vbi dici nequit damnum hoc communis boni utilitate compensari, dum falsitatibus instrumentorum occurrunt. Nam circa falsitates iam dictum; & dubitari præterea potest quod damnum maius censeri debeat, aliqua instrumenta falsa confici, an pauperes suis bonis per iniuriam spoliari. Et licet pauperibus Regia sit benignitate prouisum, vt vidimus; id tamen non de omnibus pauperibus accipiendum, sed de illis, qui de solemnitate dicuntur, qui raro litigant; cum tamen alij copus habeant frequentissimè litigare.

207 Nihilominus non debet vt iniqua talis Pragmatica condemnari, in qua probabiles rationes occurrunt, vt possit sustineri. Falsitatis enim, vt potest, per eandem occurritur: & si non omnia, aliqua publici statûs damna saltem euitantur. Et pretium quidem maius est quam esse deberet, expensarum habitâ ratione: quod tamen iustificari manifestius potest quoad papyrum primi signi: quia cum illa pro gratis & muneribus Regis, aut eius auctoritate impartitis deferuiat, potest illis Rex grauamen illud, leuissimum sanè donatariis, imponere: vt scilicet in talis pretij papyro titulos sint, & non aliâs, accepturi: quemadmodum onus mediæ annatæ imponit, quod nequit iniustum reputari. Quoad papyrum autem signi quarti, dictum iam n. 204. Quoad tertij, excessus non est notabilis, & ita ob auctoritatem Regij signi potest illo digna duci, quando etiam stipendium est iis tribuendum, qui in eius distributione, venditione, & curis alijs circa eandem occupantur. Et ex multorum au-

thoritate etiam constat ex Regio signo monetæ valorem augeri, vt videri potest per citatos à Diana Parte 6. Tract. 8. Resolut. 1. s. Ad secundum, quod & ipse admittit quando excessus est modicus. Est autem eadem in papyro ratio. Restat ergo solum papyrus secundi signi, sex inquam regalium. Et hæc cum ad res momenti maioris adhibeatur, & rarior illius vsus sit, maiori pretio venit æstimanda, quia minus est hac ratione in illo grauamen, estque bifolium, & ita quasi duæ chartæ, & duo signa, quorum auctoritas exigit, vt non vili pretio diuendantur. Sic ergo apparet pretio non esse excessum talem, vt manifesta in eo iniustitia, re attentius expensâ, valeat deprehendi. Quod verò de pauperibus dicebatur solum ex eo potest, quod licet aliquale in eo iniustitiæ videatur esse periculum, non est generaliter præsumendum; cum in litibus incerta iustitia sit; & etiam si facilis succurrat litigandi modus, potentiores armis validioribus certant, vt frequentius debeant infeliciorem litis exitum sibi pauperes ominari. Quod malum remedio caret. Quæ autem circa instrumentorum fidem versatur falsitas, perniciosissimum malum est, cum ex eorum fide totus ferè Reipublicæ status pendeat. Pro quo videri potest P. Fragolus Tomo 1. pag. 728. n. 295.

208 Iam quod ad vltimum spectat, negatur in hac dispositione genus aliquod gabellæ intercedere, quod ex dictis videtur sequi: cum tantum sit determinatio quorundam pretij circa rem bono publico conuenientem. Neque oppositum sequitur ex eo quod nolit Rex Ecclesiasticos ad vltim compelli; quia etiam si gabella non sit, est tamen lex minus congrua Ecclesiasticæ libertati, vt quæ onus imponat: ad has tamen Clerici non tenentur, vnde nec imponi illis potuit: vt videri potest apud Bonacinam Tomo 2. Dissut. 1. quæst. 1. Puncto 6. num. 29. Dianam Parte 1. Tract. 10. Resolut. 12. & Parte 6. Tract. 3. Resolut. 1. s. Resat modo. P. Palaum Tomo 1. Tract. 3. Dissut. 1. Puncto 24. s. 6. num. 6. & alios, qui licet fateantur Ecclesiasticos ligari legibus ciuilibus, exceptionem addunt oneris & præiudicij, quo libertas Ecclesiastica minuitur. Cum autem gabella non sit; neque etiam fuit opus necessitatem exprimi, quæ ad illam imponendam impulisset.

209 Ex dictis autem videtur cessare, quod ad factum atinet, quæstio illa, An Pragmatica ista sit contra Ecclesiasticam libertatem, si videlicet ad Ecclesiasticos extendatur. Cum enim eos Rex compelli vetet, quæstio in facto cessat. Si dicatur Regem suos admonere Proreges, vt opportuna vtentes industriâ curent papyrum signatam in statum Ecclesiasticum introducere, vt videri potest apud citatum Escalonam s. 3. n. 12. ex quo videretur sequi legem ex intentione eius ad prædictos extendi; nolle tamen circa eos rigore vti. Responderi potest id non sequi, sed onus istud ad laicos tantum dirigi, & neque indirectè Ecclesiasticos comprehendere, qui sponte illud subire possunt: non vt sponte obligationem subeant, sed vt semper illis integrum sit à voluntarij oneris supportatione desistere: est enim quasi donatiuum, quod Ecclesiasticis omnino licet: vnde & in gabellis idem contingere possit;

Valor pecunie ex Regio crescit signaculo.

Gabellam in papyri dispositione non esse.

Neque ad Ecclesiasticos extendi.

Neque oppositum ex verbis Pragmaticæ deduci.

Hæc posse ad eos expressè dirigi pro quo Auctores, et rationes.

Ex obligatione seruandæ commune pretium a Rege impositum, non bene argui.

Quomodo illud Ecclesiasticos obliget explicatur.

Quid cum quorundam rerum monopolij constituitur, designatio pretij.

posset, nisi periculum esset in eo quod voluntaria præstatio in obligatoriam verteretur. 210 Si autem onus tale ita imponatur, vt ad Ecclesiasticos etiam extendi Regis voluntas sit, & ne aliter in eorum negotiis procedatur, libertati Ecclesiasticæ, iuxta nuper dicta, repugnaret: quod ex eorum doctrinâ colligitur, quos dudum adduximus, & aliorum apud ipsos: & ita in propriis terminis de papyro signatâ loquentes tenent Illustrissimus Araulo in 2.2. D. Thoma. Quæst. 95. Dissut. 3. Sect. 5. & Diana Resolut. 1. citata, it quâ multa adducit; quæ eò tendunt, vt ostendat esse gabellam: quo constante, illatio est manifesta, cum constet Ecclesiasticos ab illis esse prorsus eximios. Quia verò ex dictis responderi potest gabellam non esse; idè ad fundamentum aliud recurrendum; quod scilicet onus sit, & quidem non leue, ad quod nequeant Ecclesiastici compelli, vt citari tradunt, & apud eos alij, ac complures insuper apud Dianam Parte 6. Tract. 3. Resolut. 6. asserentes statuta laicorum non ligare Ecclesiasticos, quæ circa alienationem bonorum, contractus, & alia versantur, in quibus illis onus seu grauamen imponitur, quod minimè gabellæ rationem habet. Pro quo & videnda multa apud eundem toto Tractatu illo, seu Apologetica disceptatione. Vnde si ponamus papyrum signatam eodem pretio, quo communis, Clericis tradi; si tamen ita compellantur eâ vti, vt non adhibita, nequeant in lite procedere, grauamen erit contra illorum libertatem; quia ad id, quod aliâs ipsis erat licitum, compelluntur, iuxta dicta à nobis alibi: Vide Tir. 3. num. 109. & 110. & Tir. isto n. 142. & pro quo plures Auctores adducit Diana Resolut. 1. citata s. Sed hic minimè. Est ergo ratio oneris à ratione gabellæ diuersa.

211 Si dicas Ecclesiasticos teneri ad obseruandum rerum pretium à lege taxatum, vt est communis Scriptorum doctrina, de quâ citati num. 204. & ita etiam obligandos ad papyri signatæ pretium. Responso est facilis: Nam aliud est teneri ad pretium, si re aliquâ vti velint, aliud ad ipsius vltim obligari, quando aliunde haberi potest pretio vtiliori; in illo enim, vt communis legis seruatur æquitas, in hoc Ecclesiastica violatur libertas. Itaque si Clericus emar triticum ex communi horreo, taxatum debet pretium reddere per publicam potestatem: sed non tenetur absolute emere, si aliunde possit sibi prouidere, & sic de alijs. In nostro autem casu idem accidit: nam si Ecclesiasticus velit papyro signatâ vti, debet pretium pro se taxatum offerre: sed ad talem vltim nequit obligari, cum possit communi vti papyro, vt poterat ante Pragmaticam signaturæ. Quod si aliquando monopolium rerum quarundam fiat, pretio earum designato per publicam potestatem, vt de niue diximus Cap. 24. illud certè onus non est, sed commodum, vt ibidem ostensum. Si verò contingat monopolium non eam commoditatem respectu Ecclesiasticorum habere, sicut neque respectu aliorum, sed solum fisci, vt in chartulis piæcis; onus etiam reputari non debet, quia non versatur circa res ad communes vsus necessarias, sed quæ omnino sponte assumuntur, & ab Ecclesiasticis satius esset non assumi. Quod Diana cum

alijs bene aduertit supra s. Ad tertium. Si autem ex necessarijs sint, alia est ratio, vt videri apud eundem potest: quamuis si necessitas cogat, nec possit in venditione discrimen Ecclesiasticorum & laicorum commodè obseruari, probabile fit in eo lædi Ecclesiasticam libertatem, vt ex mente multorum dictum Titulo 3. numer. 112. Quæ cum ad Indias specialiter non spectent, à nobis delibata sufficiant, qui nonnulla alia minutiore prætereunda iudicamus, de quibus videri potest sæpius citatus Escalona, vt vno tandem satis quæstioso Regij ærarij compendio rem istam terminemus, pro quo fit

CAPVT XXVIII.

De Concessione Bullæ Cruciatæ & emolumentis Indicis, secundum specialia pro Indijs.

212 Vnt sanè in Indijs emolumenta Bullæ Cruciatæ permagna, cum eorum quantitas ad octingentorum millium ducatorum collectionem ascendat, vt testatur Dom. Solorzanus Tomo 2. Lib. 3. Cap. 25. num. 20. & in Politica pag. 717. Col. 1. qui multa de illa, sicut & D. Escalona in Gazophylacio Lib. 2. Parte 2. Cap. 34. Nos hic peculiariter quædam dilucemus, ex quibus fit

Primum, an transacto biennio, pro quo Bulla conceditur, si noua publicatio non fiat, præcedens valeat, aut possint que supersuerunt Bulla ex publicatione precedenti concedi.

212 C Asus accidit annis proximioribus: elapsum est enim biennium, & nouæ Bullæ desideratæ, de quarum certa transuentione notitia nulla succurrens, magnam peperit negotio in tanto confusionem. Pro deliberatione ergo consultatio habita, & Archiepiscopi Limani sententia requisita; & nonnulli quidem Bullam præcedentem valere censuerunt, sicut & in casu simili ante annos plures tenuerunt multi, vt testatur Dom. Solorzanus supra Cap. 25. num. 24. P. Henricij, Emmanuelis Roderici, & Antonij Gomecij sententiam secuti. Sed quia hoc alijs visum difficile, nouam Bullarum distributionem necessariam censuerunt; dixeruntque posse eas, quæ ex præcedenti publicatione supersuerant, impartiri; licet illæ ad biennium tantum fuerant destinatæ: sic enim de piâ potest mente præsumi Pontificis, ne fideles in regionibus adeo distantibus thesauro gratiarum adeo singulari priuentur. Quod & de Commissarij intentione pariter coniectandum, quæ Pontifici debet esse conformis, sicut & Regiæ. Cum enim negotium hoc tanti momenti sit, & adeo abundans Regijum interesse, illiusque tanta necessitas duris hisce temporibus; non est credendum vacationem istam sine fructu transire vllatenus volituros. Pro quo sunt vulgares doctrinæ de epicheiâ, coniecturis, præsumptionibus, ratihabitione, de quibus pleni tractatus Doctorum habentur. Præuoluit tamen negantium absolute consilium, qui

Bulla cruciatæ permagna, cum eorum quantitas ad octingentorum millium ducatorum collectionem ascendat, vt testatur Dom. Solorzanus.

Casus specialis de elapso biennio, nec Bullis adductis.

Valere acceptas quæ censentur.

Quæ supersuerunt posse distribui aliorum iudicium.

Negantia maior pars.